



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

Cap. IV. De Confessione Sacramentali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

collyrii
Hæreticorum
Lib. II.

rum celestium classem ordinemq; referendum est. Hæc Chrysostomus.

3.
Quo sensu
omni-
do possint
laici Sa-
cerdotes
vocari.
1. Pet. 2.

Omnes quidem Sancti aliquando dicuntur in Scripturis Sacerdotes, propterea quod Spirituales hostias offerant Deo: sicut etiam dicuntur Reges, eod quod regant suos affectus: sed non nisi hi qui ab Episcopo consecrantur, externo Sacerdotio fungi possunt.

Idem
Saculo ad
possibile
sacri Or-
dine, qd
dicitur, no
minibus
vocati
quibus
nostra a-
tate, ex
S. Igna-
tio.

Temporibus Apostolorum eadem erant sacrorum Ordinum nomina, quæ modò sunt in Ecclesia. Unde Ignatius in Epistola ad Antiochenos scribit ita: *Saluto sanctum Presbyterum vestrum, saluto sanctos Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, atque Confessores.*

CAPUT IV.

De Confessione sacramentali.

1. Confessionis auricularis Sacramentum probatur ex sacra Scriptura:
2. Ex testimonio sancti Clementis:
3. Ex auctoritate clarissima sancti Cypriani.
4. Publica secretorum confessio ab Ecclesia non injungitur.

1. Ex Scri-
ptura cõ-
fessio au-
ricularu
ostendit-
ur.

EXOMOLOGESIM sacramentalem à Christo institutam fuisse, certum est, qui Sacerdotibus dedit potestatem absolvendi homines à peccatis, dicens: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Neque enim Sacerdos potest remittere peccata sibi incognita. Quare ut per ipsum Sacerdotem concedatur peccatorum absolutio & remissio, necesse est ut per eum qui peccavit, fiat peccato-

rum confessio declaratioque.

2.
Et idem
docet S.
Clemente.

Hinc Clemens Petri Apostoli discipulus scribens sancto Jacobo Jerosolymorum Episcopo, inter multa alia quæ se ab ore ipsius Petri accepisse testatur, hæc etiam ponit. *Si forte, inquit, alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel ali- quod aliud malum latenter irrepserit, non erubescat, qui anima sue curam gerit, confiteri hæc ei qui præ- est: ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quò possit integrâ fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetua vitæ præmia pervenire.*

3.
Et S. Cy-
priani, suolentia
sententia.

Cyprianus Martyr in Sermone de Lapsis, verba faciens de his qui corde duntaxat peccaverunt, ait: *Quoniam de ea re vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confiteantur, exomologesim conscientia sua faciant, animi sui pondus exponant, salutarem medelam parvis licet ac modicis vulneribus exquirant. Et paulò post: Confiteantur singuli, queso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.*

4.
Publica
confessio
abrogata.

In publica pœnitentia solebat olim palàm fieri confessio; sed ea consuetudo justè postea abrogata fuit.